

ctrinam numerorum, mensurarum ac motuum coelestium, lucem esse diuinitus sparsam in hominum mentes, ut ostendat hunc mundum non casu ex Democriti Atomis conflatum esse, sed architectatricem esse mentem aeternam, iustam, & beneficam, & ut ingentes uitae utilitates adferat. Adfirmo etiam dei ope inter tantas imperiorum ruinas & barbaricas confusiones, non humana diligentia, sed diuinitus has artes conseruatas, et subinde restitutas, et illustratas esse. Hec Dei beneficia grato pectore celebros, & eum oro, ne sinat hanc sapientiam in genere humano extingui. Eo etiam facilius hunc magnum laborē, in docendo, & in uarijs operibus edendis sustineo, & quaestuosas artes omitto, ut Deo gratitudinem in conseruatione huius sui doni ostendam. Tibi quoque Princeps Illustrissime Marchio Alberte Dux Prussiae gratias ago, & agent alij non stolidi homines ad posteritatem, quod ut religionem, leges, disciplinam, ita & has artes, quae religioni, & ciuili societati seruiunt, gubernatori tuendas esse censes, & nostra studia tua liberalitate foues. Nec uero dubium est olim quoque sapientissimorum Regum hanc curam fuisse, ut posteris hanc sapientiam traderent, quos ut grata posteritas meminisse posset, nomina eorum stellis attributa sunt. Ideo ab Atlante, Orione, Chirone, Perseo sideribus nomina facta sunt. Nam hi Principes uiri coelestes motus obseruarunt, anni metas constituerunt, & ut ego existimo, insignes euentus praeuiderunt, & recens tabulae Alphonsinae dictae sunt, quod sapientissimi Regis consilio, & liberalitate haec doctrina restituta est, & tabulae constructae sunt, quarum iam annis plus ducentis praecipuus usus fuerit, eodem consilio & ego has tabulas Prutenicas dici uolui, ut sciret posteritas tua liberalitate Princeps Alberte nos adiutos esse, & tibi gratiam ab ijs, quibus profuturae sunt deberi.

Etsi autem honorificum est relinquere nominis & uirtutum memoriam in scriptis historijs, in tropheis, in aedificijs, tamen multo splendidius est, & gratius habere monumenta